De Benedictionibus Patriarcharum Liber Unus (Latin)

Ambrose of Milan (c. AD 339–397)

SermonIndex.net / Church Fathers

Sections 1 to 35

Primum omnium quantam discimus parentibus referre reue- I rentiam, cum legimus quoniam qui benedicebatur a patre benedictus erat et qui maledicebatur maledictus erat! ideo hanc parentibus gratiam donauit deus, ut filiorum pietas prouocetur. praerogatiua igitur parentum disciplina est filiorum. honora ergo patrem, ut benedicat te. honoret patrem pius propter gratiam, ingratus pro timore. etsi pauper est pater et non habet diuitiarum copias, quas relinquat filiis, habet tamen ultimae benedictionis hereditatem, qua sanctificationis opes successoribus largiatur. et multo plus est beatum quam diuitem fieri.

festinabat-Ioseph sumere benedictionem. denique et filios suos optulit Manassem et Ephraem, quos benedixit Iacob, ut quia duodecim habebat filios et tertius decimus apostolus futurus erat Paulus quasi posterior electus, tertia decima tribus de Manasse et Ephraem nepotibus sanctificaretur in utrumque diuisa, quo Paulus non extra paternarum tribuum numerum inueniretur, qui ueteris testamenti et noui egregius praedicator paternae benedictionis hereditatem sibi quoque profecisse facile conprobaret.

quam praeclara in hoc mysteria, quod sumens Ioseph filios suos, quos susceperat in Aegypto, Ephraem ad dexteram suam, ad sinistram autem Istrahel patris sui, Manassem autem ad sinistram suam, ad dexteram autem Istrahel, adplicuit eos ante patrem, extendens autem Istrahel manum dexteram inposuit supra caput Ephraem, qui erat iunior et stabat ad sinistram aui, et sinistram suam inposuit supra Manassen, qui erat ad dexteram, et ita inmutatis manibus benedixit eos! in quo et Ioseph naturae ordinem seruauit, ut seniori filio plus deferret, sicut Isaac quoque in Esau priorem filium benedictionem deferre cupiebat, sed minorem filium in typo iunioris populi credidit praeferendum, sicut erat ipse a matre praelatus.

denique Manasses ex obliuione Latina interpretatione signatur, eo quod populus Iudaeorum oblitus est deum suum, qui fecit eum, et quicumque ex ea plebe crediderit tamquam ex obliuione reuocatur. Ephraem autem fecunditatem fidei interpretatione nominis pollicetur, qui auxit patrem, sicut ait ipse Ioseph dicens: quia auxit me deus in terra humilitatis meae. quod est proprium populi iunioris, qui corpus est Christi augens patrem et deum proprium non relinquens.

denique spiritaliter de populis hoc esse mysterium senior declarauit. nam cum filius eum putaret errasse uitio hebetioris aspectus, conuertere uoluit manus eius dicens: non sic pater; hic enim primitiuus est. inpone dexteram tuam supra caput eius. et noluit, sed dixit: scio, fili, scio. et hic erit in populum, et hic exaltabitur, sed frater eius iunior maior illo erit, et semen illius erit multitudo gentium. denique praeferendum Ephraem seniori germano etiam benedictionis serie prophetauit dicens: in uobis benedicetur Istrahel dicentibus: faciat uobis deus sicut Ephraem et Manasse. et ideo cum essent nepotes, in locum filiorum sunt adoptati, ut non essent auitae benedictionis expertes.

Hac benedictione celebrata uocauit etiam filios suos. et qui ante iuniorem seniori praetulerat coepit a primo, ut in illo mysterii praeferret gratiam, in hoc ordinem seruaret aetatis, simul quia ante in duobus benedixerat uniuersos cum omni posteritate et progenie futurorum, ne aut superflua uideretur plebis iterata benedictio aut prior aestimaretur infirma. meritoque repetitam magis adnuntiationem eorum quae posterioribus essent euentura temporibus quam benedictionem conferre se dicit.

denique sic coepit: Ruben primitiuus meus, tu uirtus mea et initium filiorum meorum, durus portari et durus temerarius, adfecisti contumelia. sicut aqua non efferueas; ascendisti enim in cubile patris tui: tunc polluisti torum, quo ascendisti. nonne redargui magis quam benedici uidetur? et ideo prophetia magis quam benedictio est. prophetia etenim adnuntiatio futurorum est, benedictio autem sanctificationis et gratiarum uotiua conlatio.

et ludaei putant quia propterea haec senex ad Ruben filium dicat, quia cum Bala concubina patris concubuit et torum patrium polluit — sed facile refelluntur; hoc enim ante erat gestum —, Iacob autem quae uentura essent in nouissimis diebus, non ea quae gesta erant spondet se esse dicturum. ergo patriarchae sibi congruit et constat sententia, qui uidens persequentibus ludaeis futuram domini passionem execratur immanem primogenitae plebis audaciam, quae incredula nec dei legi subdita et iugum Christi dura nesciens portare ceruice auctorem uitae non solum scelere necis, sed etiam sacrilegae insultationis adfecit iniuria.

non efferueas inquit sicut aqua, ne in maiorem prorumpat amentiam et feruor furoris atque insaniae non sinat resipiscere peccatores, sed agant paenitentiam delictorum, quoniam durus populus ascendit cubile patris et torum polluit sanctum, hoc est carnem domini Iesu creatoris nostri patibulo adfigens crucis, in qua uelut in quodam cubili et patrio toro sancti eius salutari refectione requiescunt. quis igitur abnuat de populo dictum, cum populo haec uniuersa conueniant? ipse enim dictus est primogenitus Istrahel, ipse durae esse ceruicis, de ipso dixit Moyses: uos autem populus dura ceruice estis. et re uera quis tam durus et tam temerarius et contumeliosus quam populus Iudaeorum, qui dominum Iesum, per quem uiderant mortuos suscitatos, caecos inluminatos, flagellis uerberauerunt, clauis confixerunt, cum diuina eius opera negare non possent? quod scribis et pontificibus auctoribus et principe sacerdotum Caipha pariter saeuiente commissum euangelii series declarauit. et ideo sanctus propheta refugit tanti sceleris participatum, ne per successionem generis auderent tanti patriarchae sibi adrogare consortium.

Contestatur iustus et abdicat posteritatem, quae patrium non seruaret adfectum, et quia praeuidit flagitium, perhorrescit consilii contagium. in consilium inquit eorum non ueniat animameaetin congregationem eorum non contendant uiscera mea, quoniam in ira sua occiderunt hominem et in cupiditate sua subneruauerunt taurum. quod dicit de filiis quidem dicit Symeon et Leui. sed eorum nomine tribus signat, quae appellatione simili uocabantur. quam interpretationem pulcherrimam deriuant Iudaei et arbitrantur quia propterea arguat filios Iacob, quia propter stuprum sororis Sicimitas isti duo prae ceteris fratribus ultum ire cupientes simulauerunt cum ipsis inire uelle se gratiam et ideo circumcidi eos oportere suaserunt, ut religione concordi pax inter eos et recipiendae adfinitatis societas firmaretur. sed circumcisos adorsi recentibus adhuc uulneribus et inualidis uiribus, quas dolor soluerat, fractos die superueniente tertio necauerunt. ideo et fortasse isti duo ultores prae ceteris, quia scribarum et sacerdotum auctores sunt; nulli enim magis quam sapientes et sacerdotes debent castimoniam uindicare.

sed in hoc quoque errant Iudaei. isti enim causas doloris sui praestiterant patri adserentes se in illa licet aetate iuuenili uindices laesae fuisse pietatis et uiolatae casas ultores. quod utique sanctus <Iacob> condemnare non poterat, quia non passi sunt inultam sororem suam loco esse meretricis, quae et uirginitatem amiserat et uindictae solacium non habebat, maxime cum ipse sic factum probauerit, ut <cum> Sicimam possideret, in morte donaret eam filio suo dilectissimo Ioseph dicens ad eum: do tibi Sicimam praecipuam super omnes fratres tuos. quam accepi de manibus Amorraeorum in machaera mea et arcu. quod factum negari non potest, interpretari tamen possumus per Sicimam umeros significari, per umeros opera. heredem ergo bonorum operum sanctum Ioseph prae ceteris elegit, cuius opera fratres aequare non poterant.

quis enim facta Christi potuit adaequare ? tum praeterea immaculatus et castus de hoc terreno deuorsorio et inpuritatis auctoribus manubias reportauit, locum stupris et flagitiis uacantem ad incolatum sanctorum uerbis caelestibus et gladio capiens spiritali, ut ubi inhabitatores ante lasciuiae et principes luxuriae uersabantur, ubi fuerant incentiua libidinis et fomenta nequitiae, ibi nunc sancti sacerdotes magisteria doceant castitatis et plurima uirginalis integritatis exempla quodam supernae lucis fulgore resplendeant.

Tribus igitur sunt quae designanturnominibus patriarcharum, quia de tribu Svmeon scribae sunt, de tribu Leui principes sacerdotum, qui perfecerunt nequitiam suam in domini passione mensuram omnem paternae inpietatis inplentes. ipsi consilium cogitauerunt aduersum dominum Iesum, ut occiderent eum, sicut Esaias dicit: uae animae ipsorum, quia cogitauerunt consilium malum aduersum se dicentes: alligemus iustum, quia inutilis est nobis. ipsi occiderunt prophetas et apostolos adnuntiantes domini salutaris aduentum, passionis eius et resurrectionis gloriam praedicantes. ipsi postea in sua cupiditate. quia terrena flagitia desiderabant diuina consortia refugientes, corporis castimoniam, sobrietatem mentis, contemptum pecuniae, lucrum gratiae, subneruauerunt taurum, illum uidelicet cornua producentem et ungulas, quem uident pauperes et laetantur, quoniam uerbo dei exaltauit cornum populi sui, quo et inimicos reppulit et praemium

coronae caelestis emeruit. hic est taurus, quo ecclesia figuratur in luna tunc plenior, cum uelut cornibus nixa taurinis spatium totius orbis includit.

tamen prophetiae huic etiam gratiam uidetur benedictionis adiungere. nam et ad primogenitum Ruben dicendo: nonefferuescasut aqua peccatum statuit, quia aqua mundare magis delicta mentesque nostras ab omni solet uitiorum feruore reuocare, et iterum dicendo ad Symeon et Leui: diuidam uos in Iacob et dispergam in Istrahel ostendit gentium congregatione redimendos; percusso enim pastore grex ille dispersus est, qui fuerat ante conlectus, ut qui non erat introiret et sic omnis Istrahel saluus fieret. et maxime propter tribum Leui debemus hoc credere, quia ex ea tribu dominus Iesus uidetur secundum corporis susceptionem genus ducere. ex qua tribu sunt sacerdotes Leui et Nathan, quos sanctus Lucas in euangelii libro, quem ipse scripsit, inter maiores domini conputauit. sacerdos enim patris et princeps omnium sacerdotum, sicut scriptum est: tu es sacerdos in aeternum, sacerdotalis originis successionem debuit uindicare.

unde et Moyses benedixit hanc tribum dicens: date Leui sortem suffragii sui et ueritatem eius uiro sancto. benedixit Moyses etiam tribum Ruben, sicut habes scriptum: uiuat Ruben et non moriatur et sit multus in numero. neque enim benedixisset, si secundum patriarchae sententiam benedictionis scisset indignos. certe quod strictim ille praeteriit iste conpleuit.

Et quia per admixtionem generis Iuda et Leui tribus iunctae sunt, ideo Matthaeus ex tribu Iuda discribit eius familiam.

et apostolus ait: quoniam de Iuda ortus est dominus noster, ut ex tribu Leui sacerdotalis et plena sanctitatis adnumeretur hereditas, ex tribu autem Iuda, ex qua Dauid et Solomon et reliqui reges fuerunt. regalis successionis splendor effulgeat, ut idem rex et sacerdos scripturarum testimonio demonstretur. meritoque se circa gratiam Iudae Iacob sanctus effudit dicens: Iuda, te laudabunt fratres tui; manus tuae super dorsum inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. catulus leonis Iuda. ex germine, fili, mihi ascendisti. recumbens dormisti ut leo et tamquam catulus: quis suscitabit eum? non deerit index ex Iuda et princeps de femoribus eius, donec uenit cui repositum est, et ipse exspectatio gentium: alligans ad uitem asinam suam et cilicio pullum asinae suae lauabit in uino stolam suam et in sanguine uuae anaboladium suum: hilares oculi eius a uino et dentes \'candidiores quam lac.

ad ludam quidem patriarcham dirigi uidetur alloquium, sed Iuda ille posterior uerus confessor exprimitur, qui ex ea tribu natus est, qui solus laudatur a fratribus, de quibus dicit: narrabo nomen tuum fratribus meis, dominus per naturam, frater per gratiam, cuius manus, quas expandit ad populum non credentem, super dorsum inimicorum. isdem enim manibus atque eadem passione suos texit et subiugauit aduersarias potestates omnesque fidei et pietatis exortes subditos sibi fecit. de quibus ait pater ad filium: et dominaberis in medio inimicorum tuorum. quos inimicos sua fecit malitia, non Christi uoluntas. in quo magna gratia domini. etenim spiritales nequitiae, quae ante ceruicem nostram iugo solebant captiuitatis inflectere, ita ut Dauid ipse manus quodammodo super se triumphan-

tium sentire se scriberet dicens: super dorsum meum fabricauerunt peccatores, ipsae nunc subditae Christi triumpho et quibusdam manibus eius, id est factis operibusque subiectae perpetuae subeunt captiuitatis aerumnam. ipse <est> utique. qui adoratur a filiis patris sui, quando adoratur a nobis, quibus ipse permisit ut patrem uocemus, cuius seruum esse uirtutis est.

Catulus leonis Iuda. nonne euidenter et patrem expressit et filium declarauit? quid tam euidens, quo unius naturae filius deus cum patre esse doceatur? leo ille, hic catulus leonis. uili conparatione eiusdem naturae aut potentiae unitas intellegitur. rex ex rege processit, fortis ex forte. quia futuros praeuidebat qui filium adsererent iunioris aetatis, occurrit his subiciens: ex germine mihi ascendisti. recumbens dormisti ut leo et tamquam catulus. et alibi habes quia catulus ipse est leo de tribu Iuda. ergo quia catulum dixerat. bene statim leonem posuit, hoc est dicere: non capiantur aures uestrae, quia catulum audierunt; filium expressi, non dixi minorem. et ipse est leo sicut pater. audiant quia et leonem et catulum appellauit, leonem quasi perfectae plenaeque uirtutis, catulum quasi filium, ne quis cum audiret, aequalem patris non putaret filium. non sic laudatur filius, ut separetur a patre.

ille probat aequalem qui filium confitetur. mirifice autem et incarnationem eius expressit dicens: ex germine mihi ascendisti, eo quod tamquam frutex terrae in aluo uirginis germinau<er>it et ut flos boni odoris ad redemptionem mundi totius maternis uisceribus splendore nouae lucis emissus ascenderit, sicut Esaias dicit: exiet uirga ex radice Iessae et flos ex radice ascendet. radix familia Iudaeorum, uirga Maria, flos Mariae Christus. recte uirga, quae regalis est generis de domo et patria Dauid, cuius nos Christus est, qui faetorem mundanae conluuionis aboleuit, odorem uitae infudit aeternae.

habes ergo incarnationem, accipe passionem. recumbens inquit dormisti ut leo, quando iacuit in sepulchro uelut quodam corporis sui somno quietus, sicut ipse ait: ego dormiui et requieui et surrexi, quoniam dominus suscipiet me. unde et Iacob ait: quis suscitabit eum? hoc est: quem dominus suscipiet. quis est alius qui resuscitet, nisi ipse se sua patrisque resuscitet potestate? uideo natum auctoritate propria, uideo mortuum propria uoluntate, uideo dormientem potestate propria. qui omnia suo fecit arbitrio cuius alterius ut resurgat egebit auxiliis ? ipse igitur resurrectionis suae auctor est, qui mortis est arbiter, qui expectatur a gentibus.

ideo, donec ille ueniat, non deficiet dux ex Iuda. ut usque ad eius ortum regalis successionis fides incorrupta seruetur. postea enim. ut docuimus tractatu habito in euangelium, per Herodem adulterata successio praerogatiuam dignitatis amisit. etenim quia uerum regem negarunt, falsos habere coeperunt. ergo hoc dicit patriarcha: seruabitur in iudicibus uel regibus Iudaeorum intemeratae successionis hereditas ducta per reges, donec ueniat cui repositum est, ut ecclesiam dei congreget ex conuentu nationum omnium et gentilium deuotione populorum, hoc est ipsum manet, ipsi debitum reseruatur, ipsi tantae gratiae praerogatiua defertur.

Et ipse est expectatio gentium. plus dixit quam si dixisset: ipsum expectant gentes, quod omnis spes ecclesiae in ipso recumbat. ideo dicitur Moysi: solue calciamentum pedum tuorum, ne ipse sponsus ecclesiae crederetur, qui dux plebis eligebatur. ideo soluit calciamentum suum Iesus Naue, ut uenturo tanti muneris gratiam et ipse seruaret. ideo dicit Iohannes: post me uenit uir, cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamenti eius, ideo dicit: qui habet sponsam sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet, hoc est: ipse est solus uir ecclesiae, hic est expectatio gentium, huic deferentes copulam gratiae nuptialis calciamentum suum soluerunt prophetae. hic sponsus est, ego sponsi amicus: gaudeo, quia uenit, quia uocem audio nuptialem, quia iam non dura peccatorum supplicia, dura legis tormenta, sed remissionem criminum, uocem laetitiae, sonum iucunditatis, exultationem festi nuptialis audimus.

hic est ille alligans ad uitem asinum suum et cilicio pullum asinae suae, ut feruorem spiritus sancti congregatio habeat nationum ante remissa et neglegens, set iam deuota per Christum et uiti illi perpetuae, hoc est domino Iesu, qui ait: ego sum uitis, pater meus agricola, uelut fructuosi palmitis quibusdam inexsolubilis fidei uinculis alligemur. hoc est illud mysterium, quod pullum asinae solui iussit in euangelio et ipse dominus Iesus sedit eum, ut alligatus ad uitem perpetua sanctorum suauitate requiesceret.

Lauabit inquit in uino stolam suam. bona stola est caro Christi, quae omnium peccata operuit, omnium delicta suscepit, omnium texit errores, bona stola, quae uniuersos induit ueste iucunditatis. lauit hanc stolam in uino, quando cum baptizaretur in Iordane, descendit spiritus sanctus sicut columba et mansit super eum. quo significatur quod plenitudo spiritus sancti indiuidua in eo fuerit nec recesserit. unde et euangelista ait quia plenus spiritu sancto dominus Iesus regressus est ab Iordane. lauit ergo Iesus stolam suam, non ut suam quae non erat, sed ut nostram quae erat sordem ablueret. denique addidit: et sanguine uuae anaboladium suum, hoc est in passione corporis sui diluit gentes suo sanguine. etenim uerbi anaboladium gentes sunt, sicut scriptum est: uiuo ego, dicit dominus, nisi omnes eos induam sicut uestimentum et alibi: sicut amictum mutabis eos, et mutabuntur. non ergo sanguine proprio sua peccata quae non erant, sed nostra quae fecimus delicta mundauit. et bene unam dixit, quia sicut uua pependit in ligno. ipse est uitis, ipse uua: uitis ligno adhaerens. uua, quia lancea militis apertum latus emisit aquam et sanguinem. sic enim dixit Iohannes quia exiuit de eo aqua et sanguis, aqua ad lauacrum, sanguis ad pretium. aqua nos abluit, sanguis nos redemit.

et ideo ait propheta: hilares oculi eius a uino et dentes candidiores quam lac significans prophetas et apostolos. alii enim sicut oculi Christi praeuiderunt et adnuntiauerunt eius aduentum, de quibus ipse dicit: Abraham diem meum uidit et gauisus est, et unus de prophetis dicit: uidi dominum Sabaoth, quem uidentes spiritali laetitia conplebantur: alii uero, hoc est apostoli, quos dominus ab omni peccatorum labe mundauit, candidiores super lac facti sunt, quos macula postea nulla fuscauit. etenim lac temporale est, gratia autem apostolorum perpetua manet, qui nobis spiritalia illa atque caelestia conficientes alimenta mentis internae uiscera saginarunt. sunt etiam qui mandata domini lucida, quae diuino

ore deprompta sunt, sicut lac nobis facta arbitrentur, quibus nutriti ad panis caelestis peruenimus alimoniam. unde et Paulus ait: lacte uobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis. Corinthius in principio fidei potu lactis inbuitur, sancti illi quorum fides adnuntiatur in uniuerso mundo tamquam, ablactati esca solidiore firmantur.

Zabulon iuxta mare habitabit et ipse secus accessus nauium et praetendet usque ad Sidonem. ipsa nominis interpretatio meliora promittit, eo quod Latina expressio liberationem significet a nocturnis, quod est utique bonum et eius qui speret in pinnis domini, quem circumdat. ueritas eius, ne timeat a timore nocturno et a negotio perambulante in tenebris.

hic ergo Zabulon iuxta mare inquit habitabit, ut uideat aliorum naufragia ipse inmunis periculi et spectet alios fluctuantes in freto istius mundi, qui circumferantur omni uento doctrinae, ipse fidei radice inmobilis perseuerans, sicut est sacrosancta ecclesia radicata atque fundata in fide spectans haereticorum procellas et naufragia Iudaeorum, quoniam gubernatorem quem habuerant abnegauerunt. circa fluctus igitur habitat, non fluctibus conmoue.tur magisque ad subueniendum parata quam periculo obnoxia, ut si qui tempestatibus acti grauibus confugere ad portum uelint. praesto sit ecclesia tamquam portus salutis, quae expansis bracchiis in gremium tranquillitatis suae uocet periclitantes locum fidae stationis ostendens. ecclesiae igitur in hoc saeculo tamquam portus maritimi per litora diffusi occurrunt laborantibus dicentes esse credentibus refugium praeparatum. quo uentis quassata nauigia possint subducere.

in his ecclesiis sunt principes Zabulon et principes Nephthalim, sicut docet LXVII psalmus, quorum alii liberatores sunt a tempestate nocturna clamantes: abiciamus ergo opera tenebrarum et induamus arma lucis, alii sunt latitudinis apostolicae, qui possunt dicere: os nostrum patet ad uos o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. ipsi sunt isti, qui cum essent in tenebris, lucem uiderunt magnam, sicut propheta testatur dicens: regio Zabulon et regio Nephthalim, uia maris trans Iordanem. populus, qui sedebat in tenebris, lucem uiderunt magnam. qui sedebant in regione umbrae mortis, lux orta est illis.

exploratores igitur secus accessus nauium posuit dominus deus noster patriarchae huius heredes, cuius cura peruigil et spiritalis successio praetendit usque ad Sidonem, hoc est usque ad gentes peruenit, ut domini misericordia peccata ableuet nationum. Sidon etenim primitiuus est filius Cham, illius utique, qui propter inreuerentiam paternae pietatis maledictione damnatus est patris. ergo liberatio nocturna tamquam in excubiis posita propugnaculi spiritalis, ne quis scopulos uitae huius possit incidere, praetendit usque ad grauissimorum criminum peccatores et Sidonios ipsos, qui ante superstitione uehementi uenatores scelerum nuncupabantur, ut interpretatio docet, soluta hereditate maledicti donataque hereditate benedictionis absoluit. ut ubi maior reatus erat, ibi nunc uberior sit gratia.

Isachar bonum concupiuit requiescens inter medias sortes. et uidens requiem quia bona est et terram quia pinguis, supposuit umerum suum ad laborandum et factus est uir agricola. Isachar merces dicitur et ideo refertur ad Christum, qui est merces nostra, quod eum nobis

ad spem salutis aeternae non auro ei argento, sed fide et deuotione mercemur. unde et Dauid de ipso dicit: ecce hereditas domini fili, merces fructus uentris. et Moyses de eo dicit: merces circa mare inhabitantium. hic est qui bonum concupiuit ab initio et quod malum est desiderare nesciuit. de quo et Esaias dicit: priusquam sciat puer uocare patrem aut matrem, non credit malitiae eligens quod bonum est.. requieuit inter sortes ueteris et noui testamenti uel in medio prophetarum. ideoque inter Moysen et Heliam medius apparuit, ut ostenderet nobis quod eorum sermonibus requiem habeat, per quos plerique peccatis renuntiantes credunt in deum uiuum uel quod ipsi sint testes resurrectionis eius et beatae quietis.

itaque ut ad resurrectionis suae gratiam uocaret gentes — ipsa est enim pinguis et fertilis terra, quae fructus generat aeternos, fructus centesimos et sexagensimos —, subiecit umerum suum ad laborandum, subiciens se cruci, ut nostra peccata portaret. ideoque dicit propheta: cuius principium super umerum eius, hoc est super corporis passionem diuinitatis potestas uel crux supereminens corpori. posuit ergo umerum incumbens aratro omnibus subeundis patiens contumeliis, ita subiectus labori, ut uulneraretur propter iniquitates nostras et infirmaretur propter peccata nostra. et factus est uir agricola sciens terram suam bono seminare frumento et fructiferas arbores alta radice plantare.

Daniudicabitpopulumsuumtaniquaiuunatribus Istrahel. et factus est Dan ipsi serpens in uia sedens et\' in semita mordens calcaneum equi, et cadet eques retrorsum salutem expectans a domino. simplex quidem intellectus hoc habet, quod etiam Dan tribus iudicem dederit in Istrahel. etenim post Iesum Naue iudices fuerunt plebis de diuersis tribubus. fuit autem et Samson de tribu Dan et iudicauit uiginti annis. sed non hunc prophetia significat, sed antichristum, qui futurus ex tribu Dan saeuus iudex et tyrannus inmanis iudicabit populum. tamquam serpens in uia sedens deicere temptabit eos qui uiam ambulent ueritatis, supplantare cupiens ueritatem. hoc est enim mordere equi calcaneum, ut ueneni suffusione equus saucius et uulneratus dente serpentis leuet calcaneum suum, sicut Iuda proditor temptatus a diabolo leuauit super dominum Iesum calcaneum suum. ut deiceret equitem, qui se deiecit, ut omnes leuaret. cecidit igitur non prostratus in faciem quasi dormitans, sed retrorsum, ut a superioribus ad priora se extendens a domino expectaret salutem; sciebat enim se resuscitandum et ideo iacentem Adam expectabat erigere.

unde nos cum bene in uia currimus, caueamus necubi serpens lateat in semita et subruat uestigium equi, hoc est corporis nostri et deiciat subito equitem dormientem. nam si uigilemus, cauere debemus aliquatenus et morsus declinare serpentis. non ergo nos opprimat somnus neglegentiae, somnus saeculi, non opprimat somnus diuitiarum, ne et de nobis dicatur: obdormierunt somnum suum, et nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum. sed sunt et equites dormientes, de quibus scriptum est: dormitauerunt qui ascenderunt equos. si auaritia pectus tuum uulneret, si libido inflammet, dormis eques, et ideo corpus tuum, hoc est equum tuum non potes refrenare. uigila ergo, ut etiamsi deiectus fueris, hoc est mortuus fueris, non obdormias. qui enim obdormiunt somnum suum nihil inueniunt; tu autem expecta salutem a domino, uenturam respice, ut gratiam resurrectionis inuenias. dormiebat

Iudas: denique uerba Christi non audiebat. dormiebat ludas et quidem somnum diuitiarum, qui mercedem de proditione quaerebat. uidit eum dormientem diabolus et oppressum auaritiae somno graui: misit se in cor eius, uulnerauit equum, deiecit equitem, quem separauit a Christo.

hanc trib um benedixit Moyses dicens: Dan catulus leonis et effugiet ex Basan, hoc est ex confusione. unde secundum Graecum magis intellegere debemus, ex quo Latinus transtulit, quod Dan ipse factus sit serpens in uia sedens. Dan iudicium interpretatur, et ideo graue periculum iudicii tribus ista subiit, cui serpens inlapsus antichristus est, qui currentem suis sauciaret uenenis. sed tamen ipsa tribus liberabitur a confusione, cum fuerit confessa equitem resurgentem, qui ait: qui me confusus fuerit coram hominibus, confundam et ego eum coram patre meo, qui caelis est. qui autem me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo, qui in caelis est.

Gad, temptatio temptabit eum, et ipse temptabit eos secus pedes. temptatio est congregatio et astutia scribarum et sacerdotum, qui dominum Iesum de tributo Caesaris et de Iohannis baptismate, ut docuit scriptura, temptabant, quibus dominus Iesus in sua iustitia temptamentum retorsit. secus pedes, hoc est continuo sine ulla deliberatione referens, quo temptantes magis ipse concluderet. dicentibus enim: in qua potestate haec facis? non ad quaesita respondit, sed etiam ipse proposuit dicens: interrogabo uos et ego unum uerbum. quod si dixeritis mihi, et ego uobis dicam in qua potestate haec facio. iterum dicentibus: licet tributum dare Caesari an non? ait: quid me temptatis, hypocritae? ostendite mihi nomisma census. et offerentes iterum interrogauit: cuius est imago et superscriptio? dicunt ei: Caesaris. ibi igitur eos ligauit ipsorum sermonibus, ipsorum obligatione constrinxit — tunc ait illis: reddite quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt dei deo —, ut contra uerba sua uenire non possent. denique mirati abierunt ab eo. sed non est mirum, si secus pedes » respondebat, qui ante pedes uidebat.

Sections 36 to 59

exposuit euidenter Moyses hanc prophetiam Iacob sancti esse de Christo; sic enim ait:. benedictus qui ampliauit Gad. sicut leo requieuit confringens bracchia et principes. et uidit ab initio suo quia ibi diuisa est terra principum collectorum simul cum principibus populorum; iustitiam dominus fecit et iudicium Istrahel.

agnoscimus itaque qui requieuerit sicut leo, < cum) confregerit bracchia potentium, quia a principio diuisiones temptantium uidit. ibi igitur hiatus est terrae, qui absorbeat calumniantes, ubi temptatio perfidorum est.

Aser, pinguis eius panis, et ipse dabit escam principibus. Aser interpretatione Latina significat diuitias. quis igitur diues nisi ubi altitudo diuitiarum est sapientiae et scientiae dei? quis diues nisi dominus Iesus, qui abundat semper et numquam deficit? pauper uenit in hunc mundum et omnibus abundauit, repleuit uniuersos. quantus est in diuitiis, qui paupertate sua omnes diuites fecit! sed pauper propter nos, diues cum patre. pauper ille, ut nos ab inopia uindicaret, sicut apostolus docet dicens: quia propter uos pauper factus est, cum diues esset, ut illius inopia inopia uos ditaremini. cuius inopia ditat, sanat fimbria, famis satiat, mors uiuificat, resuscitat sepultura. hic ergo est diues thensaurus, cuius pinguis panis. et bene pinguis, quem qui manducauerit esurire non poterit. hunc panem dedit apostolis, ut diuiderent populo credentium, et hodieque dat nobis eum, quem ipse sacerdos cotidie consecrat suis uerbis.

hic ergo panis factus est esca sanctorum. possumus et ipsum dominum accipere, qui suam carnem nobis dedit, sicut ipse ait: ego sum panis uitae. patres uestri manducauerunt mannam in deserto et mortui sunt, hic est autem panis, qui de caelo descendit, ut, si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. et ne quis putaret quia de hac morte dicit, quae per animae et corporis secessionem uenit, et iure dubitet, cum sciat sanctos apostolos hac morte esse defunctos, addidit: ego sum panis uiuus, qui de caelo descendi. si quis manducauerit ex hoc, uiuet in aeternum, hoc est: non de temporali uita dixi supra nec de morte istius uitae, qua etiamsi quis mortuus fuerit, tamen si panem meum acceperit, uiuet in aeternum. ille enim accipit qui se ipsum probat; qui autem accipit non morietur peccatoris morte, quia panis hic remissio peccatorum est.

Moyses quoque pulcherrime prophetauit in benedictionibus suis dicens: benedictus a filiis Aser, et erit acceptus a fratribus suis et intinguet in oleo pedem suum. ferrum et aeramentum erit calciamentum eius, et sicut dies tui sunt, sic erunt uirtutes tuae. non est quisquam sicut est deus tuus in caelo, adiutor tuus et magnus et decens firmamenti et protegens deus initii et per uires bracchiorum potentium. et eiciet a facie tua inimicum dicens: pereat. et inhabitabit Istrahel fidens solus super terram Iacob in frumento et uino, et caelum tibi cum nebula roris erit.

Nephthalim uitis remissa, porrigens in germine decorem. sarmentum uitis aliud amputatur, quod uidetur inutile, ne cassa uitis sarmentorum exultatione luxuriet, aliud paulisper reciditur ac remittitur, ut fructum adferat, cuius decus in generatione porrigitur, quia dum ad superna se subrigit, uitem amplectitur et ad uerticem ascendens iugi quaedam colla uitium pretiosi palmitis uestit monili. est et ille decus in generatione, quia plenis palmitibus multos fructus exundat.

decorum hoc, sed multo illud pulchrius, quod haerentem palmitem uiti significat spiritali, cuius nos sarmentum sumus et fructum adferre possumus, si maneamus in uite: sin autem, praecidimur.

sanctus patriarcha Nephthalim erat palmes abundans. unde Moyses dicit: Nephthalim satietas accipientium; replebitur benedictione a domino, mare et Africum possidebit exponens hoc quod Iacob dixerat, quod sit uitis remissa, hoc est per fidei gratiam uinculis mortis exutus, in quo significatur populus dei ad libertatem fidei et ubertatem uocatus gratiae, toto orbe diffusus, qui iugum Christi bono fructu uestiat et ligna uerae illius uitis, hoc est mysteria dominicae crucis ambiat nec timeat confessionis eius periculum, sed magis etiam in persecutionibus positus Christi nomine glorietur.

hic est uere remissus a uinculis qui nullo nexu formidinis alligetur — unde et propheta dicit: exibunt et tripudiabunt sicut uituli resoluti uinculis — ideoque in germine suo decorem porrigit, quia in loco pascuo conlocatus et super aquam educatus refectionis per sacramenta regenerationis suae germinat bonum uerbi decorem et adsumitur in illam pulcherrimam Christi gratiam, qui potest uenustatem tui decoris augere.

denique super omnes decorus quod habet donat, quia nemo potest donare quod non habet, ideoque dictum est: dominus regnauit, decorem induit. induit enim decorem ecclesiae gratia, quae in illo lauacro deponens foeditatem omnium delictorum splendore gratiae caelestis enituit. ideoque sponsus de ea dicit: quaenam esthaecprospiciens tamquam diluculum, speciosa sicut luna, electa sicut sol, miraculum sicut ornatus?

Nunc ut tamquam epilogo quodam concludamus historiam. sicut et scriptura conclusa diuina, prophetiam sancti Iacob de sancti Ioseph nomine digeramus: filius ampliandus meus Ioseph, filius ampliandus meus zelandus, filius meus adulescentior, ad me reuertere. in quem consilium conferentes maledicebant et intendebant in eum domini arcum. et contriti sunt cum potentia arcus eorum et dissoluti sunt nerui bracchiorum manus eorum per manus potentis Iacob, indeque praeualuit Istrahel a deo patris tui. et adiuuit te deus

meus et benedixit te benedictione caeli a summo et benedictione terrae habentis omnia propter benedictionem uberum et uuluae, benedictiones patris tui et matris. praeualuit super benedictiones montium manentium et desideriis collium aeternorum: erunt super caput Ioseph et super uerticem eorum quibus praefuit fratrum.

quae causa est quod super omnes filios uberius Ioseph filium prosecutus est pater nisi quia in eo praefigurantia Christi uidebat mysteria? unde benedicens illum magis qui expectabatur quam illum qui uidebatur ait: filius ampliandus meus Ioseph. qui est ampliandus nisi Christus, cuius gratia semper augetur et finem processus sui non habet gloria? de quo et Iohannes dicit: illum oportet crescere, me autem minorari, quia per ipsius illud salutare perfectumque nomen cumulata est in hoc mundo et abundauit gratia - filius ampliandus meus - et ideo quia uidebant eum crescere fratres ei inuidere coeperunt, intellegibilis autem Ioseph et . zelum incidit ab iis quos magis fouebat. denique dicebat: non ueni nisi ad oues perditas domus Istrahel. et illi dicebant: nescimus unde sit. ille curabat eos et illi negabant eum.

Filius inquit meus adulescentior. re uera adulescentior, qui erat paene ultimus natu. denique et scriptura dicit: amabat eum Iacob, quia filius erat senectutis illi. quod etiam ad Christum refertur. senescenti enim mundo et iam occidenti inlucescens dei filius per Mariae uirginis partum serus aduenit. tamquam filius senectutis secundum sacramentum suscepit corpus, qui erat ante saecula semper aput patrem. unde dicit .

ad eum pater: ad me reuertere, euocans eum ad caelum de terris quem propter nostram salutem miserat. itaque resuscitans filium suum unigenitum euacuauit consilium maledicentium — unde et Esaias dicit: uanum consilium spiritus uestri — et conuicia, quae quasi iaculantes sagittas dirigebant, soluit omnia. contriuit eorum potentiam, qui in suis uirtutibus et non in deo confidentes erant. inde inquit praeualuit Istrahel a deo patris tui. et adiuuit te deus meus. quis est qui confortauit Istrahel et adiuuit filium nisi solus deus pater, qui dixit: Iacob puer meus, suscipiam eum: Istrahel electus meus, suscipiat eum anima mea?

et benedixit eum benedictione caeli desuper et benedictione terrae habentis omnia; omnia enim subiecit ei, caelestia sicut benedictionem caeli et terrena sicut benedictionem terrae, ut et hominibus et angelis dominaretur.

itaque in illo uelut contemptibili corpore praeualuisti inquit propter benedictionem uberum et uuluae, benedictiones patris tui et matris. ubera uel duo testamenta dixit, quorum altero adnuntiatus est, altero demonstratus — et bene ubera, quoniam uelut quodam nos spiritali lacte nutritos educauit et optulit deo filius — uel Mariae dicit ubera, quae uere benedicta erant, quibus sancta uirgo populo domini potum lactis inmulsit. unde et illa in euangelio mulier ait: beatus uenter, qui te portauit, et ubera, quae suxisti! quod autem ait: uuluae benedictionem patris tui et matris, si uuluam solam Mariae uelimus intellegere, cur utramque benedictionem coniunxerit latebit causa — potuit enim dicere de sola uulua matris —, sed pulchrius arbitror, ut secundum spiritale mysterium intellegamus utramque

generationem domini Iesu et secundum diuinitatem et secundum carnem, quia ante saecula est generatus ex patre. unde et pater ait: eructuauit cor meum uerbum bonum, eo quod ex illa intima et inconprehensibili patris processit substantia et in ipso est semper. unde et euangelista dicit: deum nemo uidit umquam, nisi unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. sicut ergo sinus patris spiritalis intellegitur intimum quoddam paternae caritatis naturaeque secretum, in quo semper est filius, ita etiam patris uulua est spiritalis interioris arcani, de quo tamquam ex genitali aluo processit filius. denique diuerse nunc uuluam legimus patris, nunc cor eius, quo uerbum eructuauit, nunc 08 eius, ex quo iustitia processit, ex quo prodiuit sapientia, sicut ipsa ait: ex ore altissimi prodiui. ita cum unum non definitur et unum omnia sonant, spiritale magis mysterium generationis paternae quam membrum aliquod corporale significat. sed sicut illam ex patre generationem intellegimus, ita etiam ad consummationem fidei generationem Mariae intellegamus, quando benedicitur uulua matris, illa utique Mariae uirginalis, quae nobis edidit dominum Iesum. de qua pater dicit per Hieremiam prophetam: priusquam te formarem in utero, noui te et priusquam exires de uulua matris, sanctificaui te. geminam igitur propheta m Christo substantiam declarauit, diuinitatis et carnis, alteram ex patre, alteram ex uirgine, ita tamen ut non exsors suae diuinitatis esset, cum ex uirgine nasceretur et esset in corpore.

Unde et conualuit super omnes montes et desideria collium aeternorum. super omnes enim illos sublimis meriti uiros patriarchas et prophetas et apostolos, sed etiam ultra solem lunam archangelos tamquam caeli lumen emicuit, sicut ipse ait: non est discipulus super magistrum nec seruus super dominum. quis enim illorum fuit cui subiecta essent omnia, quibus ipse donauit quod erant? in quo benedicuntur omnes sancti eius, quia ipse est super capita omnium caput omnium — caput enim mulieris uir, caput uiri Christus — et super uertices omnium, quia ipse est supereminens uertex uniuersorum, sed iustorum est uertex altissimus, quos fratres uocat adquisitos per gratiam et quoddam regenerationis consortium. unde et fratribus Ioseph illos magis fratres intellegimus, de quibus dicit in psalmo: narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiae cantabo tibi.

Denique et Moyses completurus uitae istius cursum, cum benediceret tribum Ioseph, non illum utique iam defunctum Ioseph, sed Christum benedicebat, sicut habes scriptum de Ioseph: a benedictione domini terra eius, a finibus caeli et a rore et ab abyssis fontium deorsum et secundum horam factum solis cursus et a conuenientibus mensibus et a uertice montium ab initio et a uertice collium aeternorum et ad horam terrae plenitudinis et ab eo qui uisus est in rubo ueniat super caput Ioseph et super uerticem ipsius. honorificus inter fratres. primogenitus tauri decus eius, cornua unicornui. in ipsis gentes uentilabit simul usque ad extremum terrae. ipsae myriades Ephraem et ipsae chiliades Manasses.

benedictio eadem est, quae omnem habet caelestium et terrestrium plenitudinem et specialem Christi gratiam, qui uisus in rubo dixit ad ipsum Moysen: solue calciamentum pedum tuorum, qui est super omnes deus, quia ipse caput corporis, ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut fiat in omnibus ipse primatum tenens, quoniam in ipso conplacuit omnem plenitudinem inhabitare. et ideo soli benedictionis huius praerogatiua

defertur a summitate caeli usque ad extremum terrae. ipse est enim ante omnes, in quo constant omnia, qui etiam per sanguinem crucis suae pacificauit omnia siue quae in terris siue quae in caelo sunt. cuius typum praeferens pulcre benedicitur sanctus Ioseph, ut honorificetur inter fratres.

Primogenitus tauri decus eius habens cornua unicornui, in quibus gentes uentilabit. et bonus taurus quasi hostia pro delictis et totius mundi uictima, ut pacificaret omnia. cuius decus sanctum; omne enim sanctum primogenitum, sicut alibi demonstrauimus, unde Leui non aetatis ordine, sed sacrae successionis praerogatiua primogenitus meruit nuncupar. et uere sanctum decus eius, de quo scriptum est resurgente: speciosus forma prae filiis hominum, quia ipse est primogenitus ex mortuis, habens cornua unicornui. sed cum dixerit cornua, quomodo unicornui posuerit requirendum, cum ipsum unicornuum inter generationes ferarum, ut periti aiunt, non inueniatur. et ideo uerbum unicum magis aestimare debemus, quia substantiuum uerbum dei unum est. non multa uerba. unde et Anna ait: dominus iudicat finis terrae, et dabit uirtutem regi et exaltabit cornum christi sui, et Esaias ait: uinea facta est dilecto in cornu in loco uberi, quoniam in dei filio unigenito floret ecclesia tenens unicum dei uerbum, in quo est uirtutis atque sapientiae plenitudo, cuius ubertate seges fidei pullulauit. quod uerbum sequuntur sancti.

Decem milia inquit Ephraem et milia Manasse, id est: et Iudaeorum et gentium dominetur et ex utroque populo adquirat sibi ecclesiae plenitudinem. ideoque dextram suam super Ephraem posuit sanctus Iacob, eo quod legis dicentem illam in Canticis canticorum: fraternus meus candidus et rubeus, electus de decem milibus. denique etiam iuuenculae Dauid Mariae auctorem, ex cuius successione Christus est natus per uirginis partum, in decem milibus praedicabant, Saul autem in milibus, cum reuerentiae gratia circa regem magis praeponderare debuissent. qui ergo cornum Christi exaltauerit confessus eius gloriam ipse quoque accipit cornua. unde etiam sancti unicornui dicti sunt in psalmi uersiculo: et dilectus tamquam filius unicornuorum. etenim sicut animal huiusmodi, cum ei oriuntur cornua, processum plenioris significat aetatis, ita cum e capite quodam nostrae animae cornua pullulare coeperint, processum uidentur perfectioris significare uirtutis et tamdiu crescunt, quamdiu conpleantur. hoc cornu dominus Iesus comminuit gentes, ut superstitionem obtereret, salutem redderet, sicut ipse ait: percutiam et sanabo. ideoque tamquam imitator tauri huius propheta dicit: in te inimicos nostros uentilabimus, id est altitudinem omnem eleuantem se aduersus dei scientiam destruentes. et ideo iuxta legem munda animalia cornua habent; lex enim spiritalis est. qui enim possunt saeculi huius inlecebras uerbo dei et uirtutis obseruantia propulsare cornibus uelut quibusdam capitis sui armis uidentur esse muniti. meritoque et tuba cornea dicitur uirtus sermonis mirabilis, quae bonos milites Christi accendit ad proelium, ut de hoste diabolo manubias reportemus. in acie igitur sumus et plurimos ex nobis uidemus in aduersariis castris esse captiuos. ii nobis iugo grauissimo seruitutis exuendi sunt.

Plurimos lupos habet diabolus, quos ad Christi oues dirigit. et ideo intellegibilis Ioseph, ut oues seruaret suas, ipsum inimicum uenientem ad diripiendas oues rapuit lupum Paulum

faciens ex persecutore doctorem. de quo dicit Iacob, sicut scriptum est: Beniamin lupus rapax, mane edet adhuc et ad uesperum diuidet escam principibus. lupus erat, cum dispergeret et deuoraret oues ecclesiae: sed qui lupus uenerat pastor est factus. lupus erat cum Saulus esset, quando intrabat in domos et uiros ac mulieres trahebat in carcerem. lupus erat, quando spirans minas et homicidia in discipulos domini petebat epistulas a principibus sacerdotum, ut inuaderet seruulos Christi. quem tamquam lupum nocturnis tenebris oberrantem offusa Iesus luce caecauit. ideo Rachel cum pareret Beniamin, uocauit nomen eius filius doloris mei futurum prophetans ex ea tribu Paulum, qui adficeret filios ecclesiae persecutionis suae tempore et graui matrem dolore uexaret. sed tamen idem postea principibus escam posteriore diuisit tempore euangelizans gentibus dei uerbum et plurimos ad fidem prouocans, qui eo disputante sicut legatus Pauli proconsulis et Publius princeps domini gratiam receperunt.

pulchre autem etiam Moyses, cum benediceret Beniamin tribum, dixit: dilectus a domino habitabit fidens, et deus obumbrabit super eum omnibus diebus, et inter umeros requiescet dilectus a domino. qui etiam uas electionis est factus; neque enim aliter nisi domini est miseratione et amore conuersus. unde et ipse nihil merito tribuens suo, sed totum deferens Christo ait: ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus uoeari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam dei. gratia autem dei sum quod sum, et gratia eius egena in me non fuit. habitauit fidens in domo, quam ante uastabat, habitauit in tabernaculis Christi, qui ante sicut lupus errabat m siluis, et deus obumbrauit super eum, quando uisus est ei Christus. qui licet apertis oculis nihil uideret, tamen Christum uidebat. et merito uidebat praesentem, quem etiam audiebat loquentem. non caecitatis est obumbratio ista, sed gratiae. denique Mariae dicitur: spiritus sanctus superueniet in te et uirtus altissimi obumbrabit tibi.

et inter umeros requiescet, hoc est inter bonos actus et opera pretiosa. nam et supra habes quod Isachar supposuit umerum suum ad laborandum et factus est uir agricola. quem Paulus imitatus posuit fidei nouella plantaria ideoque quasi bonus agricola dixit: ego plantaui, Apollo rigauit.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Sanctii Ambrosii Opera*** edited by Karl Schenkl (Prague, Vienna, Leipzig, F. Tempsky, G. Freytag: 1897) Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum 32.2), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.